



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Ex Lutheri sententia omnes homines sunt Sacerdotes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Abst, inquit, ut dicamus vobis: Vinite quomodo vultis, quiescite securi. Deus neminem perdit. Fidem tantum Christianam custodite. Non ille perdet quod redemit. Non perire sinet eos pro quibus sanguinem suum effudit. Si ita loqueremur, cæterus quidem nostros valde aucturi, sed homines in infernum præcipitaturi eramus. O quantum doctrina magni huius Ecclesiæ luminis Augustini ab impia Lutheri Augustiniani doctrina abest, cui diuina illa Ciceronis sententia mirifice placuit: Omiserum, cui peccare non licebat! E contra illam magni Episcopi ridebat, dicentis: Qui te fecit sine te, non te saluabit sine te. Væ, inquit Propheta Ezechiel, (a) qui consuiunt puluillos sub omni cubito manus; & faciunt ceruicæ alia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, id est, qui viam salutis planam & facilem esse ipsis persuadent. Hi quidem tanto periculosius & grauius errabunt, quanto facilius sibi salutis negocium imaginabantur.

III. *Omnis Christianus, aiebat nouus hic Christianus, Sacerdos est. Omnes annuntiare possunt verbum Dei, etiam ipse diabolus & eius mater. Omnibus quippe dictum est: Hoc facite in mei commemorationem. Sed quid ais, bone vir? An D. Petrus Apostolus omnes Christianos, sacerdotes appellat? Vos, ait Lutherus ex illo; genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis. (b) Sed audi Lutherus. Loquitur ne hic Apostolus de sacrificio altaris? an alio spirituali? quo Deo offerimus preces nostras & bona opera; de illo non de priore quo solemne illud D. N. & Seruatoris sacrificium Deo offertur loqui; colligitur ex verbis præcedentibus, ubi inquit: Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et quoad hoc, omnes sane sacerdotes sumus, quia scilicet vias Deo hostias, ut D. Paulus loquitur, offerre debemus. Nec vero sacerdotes tantum, sed & Reges esse dicimur. Reges quidem vt animi nostri affectus & cupiditates regamus; Sacerdotes vero, vt corpus & animam nostram viam Deo hostiam offeramus. (c) Martinus Chemnitius in Examine Concilij Tridentini magistrum suum ab hoc errore vindicare volens, nunquam eum ita sensisse scribit. At si animi interpres vox est, Lutheri certe verba aliter intelligi non possunt. Sic enim loquitur in libro De Captiuitate Babylonica: (d) Est itaque certus, & sese agnoscat, quicumque se Christianum esse cognouerit, omnes nos aequaliter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & Sacramento quocumque habere potestatem. Idem sic argumentatur. (e) Primo docendi munus om-*

nibus est permissum: siquidem Esaias Propheta & ipse Saluator dicit: Omnes erunt à Deo docti. Secundum munus sacerdotale est Baptizare. Atqui hoc ipsum omnibus, immò & feminis usurpare licet. Tertium est consecrare panem & vinum: quod itidem omnibus cum sacerdotibus commune est, quum Dominus tam ad præsentem quam futuros dixerit: Hoc facite in mei commemorationem. (f) Ad officium Clauum quod atinet, illud itidem tam fratrum minimo quam summo Apostolorum fuit demadatum. Clauis ad vniuersam spectant Ecclesiam: & sic tam ad minimum eius membrum quam ipsum Papam. Quam glossam his verbis Chemnitius allinet? quæ alium in sensum ea detorquebit? Idem Lutherus, Vtinam, inquit, maiores nostri voce hæc, Clerici, nunquam usi essent! Idem votum ipsdem vere verbis conceptum fuit eius qui peioris hæreseos caput & auctorem se fecit. (g) Sed cur, quæso, ab hac voce tantum abhorretis? quum Nicenum Concilium, Origines, Epiphanius & alij eandem differentiam quam nos inter Laicos & Clericos constituerint. Est vero vox hæc deriuita à κληρος, quod significat Hereditatem seu sortem: quod Clerici sint sorte seu pars Domini, peculiaris ut Leuitæ in vet. Lege, etsi enim omnis Israel erat hæreditas Domini specialiter tamen Leui.

IV. *Verum enimvero quemadmodum apertæ leui murorum ruinâ, hostes turmatim irrumpunt; aut rupto alicubi aggere, aqua longe lateque omnia inundat, nec villo obice coerceri potest: sic conuulsa per Lutherum prima Ecclesiæ porta, & emotis humilitatis & obedientiæ cardinibus, superbia & atrogantia ita inualuit, vt nemo iam ab Ecclesia, sed à seipso credendi legem ac metam accipere debeat aut velit, si Luthero obedit. Quæ vero inde consequuta sint, libro II. videbis. Et hunc quidem hæreticorum morem Lutherus ipse notarat, (h) quos ait, ab vno aliquo articulo initium facere, deinde omnes consuellere aut negare. Idem articulos Fidei annulo comparat, qui fractus, digito amplius accommodari non potest: itemque campanæ, quæ vel leuissima accepta fissura, sonum omnem perdit. Quocirca mirum non est quod vniuersa Christiana Respublica commoueri sit solita quam primum vel vnus Religionis articulus in dubium reuocari cœpit: quum Fides*

H my
a Cap. 13. b 1. Pet. 2. c Vid. Bellar. lib. 2.
de Sac. cap. 15. d Fol. 326. e De abrog. Miss. cap.
5. f Matth. 18. g Calix de Monagom. h Tom. 2.
fol. 261. Bræn. Confess. de Cœna.